



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De Satisfactione pro peccatis, cap. 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

*In lib. 3. cō-
tra Zuingl.
& Oecolam
padium.*

temperare, quàm sic per contraria huius Pro-
tei dogmata, consilia & præcepta, fluctuare,
totùmque populum (ipsomet fatente) in fi-
de dubium fieri?

De Satisfactione pro peccatis.

CAP. XXXI.

*In Resolu-
tionibus.*

*In assertio-
ne art. 6.*

Q Vanquam non ignoret Lutherus, & se-
ipsum aliquoties, & antiquissimos quos-
que autores, multa de satisfactione pro pec-
catis scripsisse, Martyres item plurimos & Ro-
manos Pontifices & vetustissima Concilia mo-
dum pœnitendi & satisfaciendi pro peccatis
in triennali, quinquennali, decennali, &c.
pœnitentiã statuisse, eúmque satisfactionis ri-
gorem vltra mille annos in Ecclesia perduras-
se. Ipse tamen furiosa improbitate & infania
peruicacia nunc aliquot annis contendit, ni-
hil esse opera satisfactoria, Christum pro om-
nibus peccatis nostris satisfecisse, non requiri
à nobis, nisi fidem solam, quamquam in visita-
tione nũc ei contritionem superaddit: De qua
tamen ante sic pronunciauit, non semel Con-
tritio, quæ paratur per discussionẽ, collectio-
nem & detestationẽ peccatorũ, qua quis reco-
gitat annos suos in amaritudine animæ suæ, pō-
derando peccatorum grauitatẽ, multitudinẽ,
fœditatem, amissionẽ æternæ beatitudinis, &
acquisitionẽ æternæ damnationis, hæc (inquit)

contritio facit hypocritā, imò magis peccatorem. Qualia verò pronunciauerit de satisfactione in sua tum Babylone, tum Assertionem, longum esset referre. Referam autē vnum aut alterum hīc ex 500. articulis eius, quibus olim respondi. Quantò sceleratior es (inquit) tantò citius Deus gratiam infundit. At magna pars hominum eò tendit, vt se adornet, sicut cattus, quasi per hoc Deus eos acceptare debeat. Nequaquam, nam scriptura Deum sic laudat, quòd aufert peccata, & proiicit ea in mare. Sæpe (inquit) audistis, quòd erga Deum operibus non indigemus, sed erga hominem: Coram Deo autem nulla re indigemus, nisi nuda fide. Debemus solùm cum Isaac venire, hoc est, cum fide, seruos & asinos deorsum dimittere, hoc est, opera. Hæc & id genus multa nequissimè inculcauit laicis, vt odium excitaret in sacerdotes, in se verò fauorem populi, quem à scrupulis & carnificina conscientie tam facilè per nudam & solam fidem ipse liberaret, illi autem iniunctis pœnitentiis onerarent. Ostendant, si possunt (inquit) vbi in tota scriptura, vnus apex aut iota scribatur, pro peccato mortali vno debere satisfieri septem annis? Dicant vbi pro differentibus peccatis, differentes pœnas statuatur Christus & Apostoli? Nōne hæc omnia sunt postea inuenta ab Episcopis? Et tamē ibidem fatetur & concedit improbissimus nebulo, q̄ Ecclesia mater, pio affectu preuentura manum Dei,

*In cap. Bā
bylo. cap. de
pœnitent.*

*In assertio-
ne. art. 5.*

*In 500. art.
65. 67. 68.*

*in serm. de
piscatura*

Petri: &

*Estote mise-
ricordes &
c.*

*In Assertio-
art. 5.*

DE SATISFACTIONE.

castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei, sicut Niniuitæ operibus suis spontaneis præuenerunt iudiciũ Dei. Hæc pœna est arbitraria (inquit) non in totum, vt illi volunt, sed tamen necessaria. Nã aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata, quod illi per indulgētias tollunt omnino: Cũ, si essent pij pastores, potius imponderent pœnas, & Ecclesiæ exemplo præuenirent Deum, sicut Moses eũ præuenit, occidendo filios Israël, propter peccatũ vituli aurei. Optimũ autem fuerit, si nos ipsos puniremus. Hæc in Af-
In lib. Vifi. fertione. Quãuis verò & nunc dicat in Visita-
 tione sua, q̄ satisfactio pro peccatis nostris
 nulla sunt opera nostra, quia Christus solus p̄
 peccatis nostris satisfecerit: Tamen multò re-
 ctius scripsit in Resolutionibus, q̄ illæ tres
 partes satisfactionis, Ieiunium, Oratio, Elee-
 mosyna, non pertinent ad sacramentalem pœ-
 nitentiam, quoad substãtiam factorum, quia
 sunt de præcepto Christi: sed pertinent ad eam
 quoad certum modum & tempus, secundum
 quod Ecclesia ordinauerit. Videlicet, quãdiu
 sit orandum, ieiunandum, dandum. Item, quã-
 tum & quid orandum, quantum & quid non
 comedendum, quantum & quid dādum. Hæc
 ibi. Nũc autem aliter scribit & prædicat, quia
 amissio Ecclesiæ spiritu, spiritum sequitur er-
 roris, & mēdacij. Intrauit enim Satan in eum,
 & factus est spiritus mendax in ore eius, & om-
 nium sociorum & Suermerorum eius.

*In Resolu-
 tione cõclu-
 sionis. 3.*

3. Reg. vlt.

De